QVÆSTIO MEDICA.

CARDINALITIIS AGITANDA DISPVTATIONIBVS, IN SCHOLIS MEDICORVM DIE IOVIS DECIMA OCTAVA FEBRVARII, MAGISTRO ANDRÆA DV CHEMIN DOCTORE MEDICO MODERATORE.

An quæ prærumpunt sinistri iudicij?

MORBI materia duplex, in quâ & ex quâ. In quâ, coaceruans stupore, ἀδυναμία, exportantium angustiâ & occlusione: trahens calore ἐπισπαστικῷ, dolore suppetias vndique comparante, vixdum inducto vacuo, siquidem extenuationem vacuatione cures: suscipiens ex ἐπιγλυκέσι & μεταπλάσει, quæ si robustior, morbus ἀλυτώτερος. Ex quâ τὸ ἐπιπολάζον καὶ μὴ κεχεχυμένον tantâ sæpe malignitate ferociens vt inemendabilem calamitatem & subitaneam νέκρωσιν inurat insiliens. Sępius vires acquirit eundò morbus per tempora, ex eius ideâ & motu dignoscenda & prædicenda, donec stans in statu naturam adoriatur perturbatione vehementiori, etiam aliquando post quadragesimum diem. Qui tamen hunc terminum excedit, leniter & quietè transire amat ad declinationem, materiâ sensim digestâ & per vrinas, sedes aut insensilem transpirationem dissipatâ.

HINC criseως rationem totam liceat augurari. Viscerum inflammationes, præter peripneumoniam, sanguis è nare prorumpens fœlici soluit iudicio: sanguinem ergo intrepidè, etiam ad deliquium animi, mittat medicus, longè valere iussâ purgatione, si quas curare voluerit. Lipyria, quæ & pituitæ progenies, nonnisi cholerâ superueniente exoluitur. Rigor & icterus, non ante septimum, causum ex voto terminant. Hepatis gibba pars in vesicam, caua in aluum materiam morborum suorum continentem deponit. Sudor febribus familiaris. Dicam verbo: pars quælibet, quandiu materiæ morbi potens, nouit quà sese exoneret, nouit ξυμφέροντα χωρία quæ è directo respondeant, transitus habeant patentes & dignitate sint inferiora. Secus quia fit, in magno splene sanguinem è nare dextrâ fluere, rigere ἀνιδρωτί, pus thorace conclusum per vrinas expurgari parum tutum.

IAM verò securitatem & tempus indigitat materiæ conditio. Conferunt sanè in peripneumoniis, quæ periculo non vacant, abscessus in crura, sed maximè vbi sputi flaui in purulentum fit mutatio: quibus tamen concusso pectore pus cœnosum & fœtidum prodit sæpius moriuntur. Pleuriticis vrina prærubra læuem nacta hypostasin, iudicij securitatem portendit; diu tenuis & incocta fluens, si nihil salutem sperare dehortetur, in partibus inferioribus ἀποστάσιν expectandam monet: πτυσμὸς celer & secura crisis consequitur: nec enim par est expulsionem prius aggredi, vt nec rectum imparatos humores oblato cathartico, vel substantiæ familiaritate purgante, proritare, etiam tenues & fluxioni opportunos, vt bilem; immatura est medicatio nisi temperatus fuerit ardor, & tenuitas, quæ naturæ sæpe ludit conatum, ad συστάσεως mediocritatem reuocata.

MORBORVM vt alij paribus, alij imparibus diebus paroxysmorum habent recursus, ita paribus aut imparibus iudicantur. Paroxysmum protrahit humoris quantitas aut crassities, non creat: putrentis id totum humoris proprietati referendum; qui, si diuersis locis turbas commoueat, mixtas, si eodem, confusas edit exacerbationes. Harum initio, ni fuerit ἀθλητικὸς ἐπισημασία, pulsus tardi, rari, languidi: corporis habitus frigori, horrori, rigori mancipatur. Tunç sępe natura gemit sub pondere & oppressa sine certamine cedit morbo, vnde mortis ratio nulli recuperandæ salutis analoga. Contrà, in declinatione dissipatis nimio caloris effluxu viribus ἐκλυόμενοι ægri intereunt. In statu quoque morbi vehemētiâ deijciuntur priùs quàm aduersus impetum natura possit insurgere: alioquin, si vires opponere liceat, superior se morbo eiusque materiâ liberat, inferior excretionem aggressa victa corruit.

IN omnibus quidem diebus contingunt crises, sed neque numero pares nec æquè fidæ. Luna septimanis mutationibus septimas quásque iudicandi frequentiâ & fide præ cæteris commendat. Vicesimus primo & vicesimo præualet ex virium φάσεως & periodici motus (quibus tantùm lunæ & reliquis syderibus in sublunaria corpora agere datum est) concursu. Quartarum iudicandi facultas minor, maior indicandi, vt quælibet quarta in lunæ quadris ad tempestatum præsagitionem obseruanda. Vacui sunt qui pares & auxiliorum præcipitem occasionem prębent. Cęteri, quibus morbi malignitas, furentis humoris æstus, paroxysmi acerbitas aut alius quiuis externus error crisim accelerat, non legitimam moliuntur, sed quæ aut grauibus symptomatis iuncta sit, aut imperfecta, aut vires conterat & superstiti morbo ferendo efficiat impares, aut naturâ nimiùm lacessitâ vitam cum humoribus profundat.

Ergo quæ prærumpunt sinistri iudicij.



Asserebat Lutetiæ IOANNES MARTIN Trecensis. A. R. S. M. DC. XVI.